

**www.e-rara.ch**

**Ministerium solennis expiationum diei**

**Hottinger, Johann Heinrich**

**Tiguri, an. 1754**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: 7.87

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-93086>

Lucubrationes de sacrificiis, festis, libaminibus & victimarum integritate.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

**LUCUBRATIONES**  
De  
Sacrificiis, Festis, Libaminibus  
&  
Victimarum integritate.

LUCUBRATIONS

De

Sacris et Fidei, Libaninibus

&

Victimam idcirco

\* \* \* \* \*  
 \*\* \* \* \* \* \*

# CULTORIBUS

Antiquitatum Sacrarum gratiam DEI

& Sapientiam adprecatur

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

**S**apientes Scribæ, qui ipsi regnum cœlorum exspectant, ac illud simul Auditoribus, qua polent, arte commendant, in omnes formas, quantum licet & honestum est se mutant, ut quosdam carmine lugubri commoveant, terreantque, alios læto excitent & alliciant. Quare jam fistula dulcia, jam vero nœnias canunt. Hanc prudentiam maxime æstimant, quorum est, hoc nostro tempore, ingenia juvenum in rebus sacris instituere ac formare. Nam quum sint per ætatem leves, ob varias naturæ dotes & ipsi varii, ac dominantibus studiorum impedimentis & contagiis in summo versentur corruptionis periculo, atque etiam, qui auctoritate, favore, unitis viribus commoda sacra promovere deberent, plurimum desint, & tantum non turpe otium ac dissolutos Academicorum mores satis benigne ferant, modo privatos honores ususque exinde consequantur.

Stadiorum duces, quorum animæ βλέματι καὶ ἀκοῇ torquentur, remedium, si possibile, inventuri & allaturi, jam ad *Medicum Israël* confugiunt, jam ipsi arbitrantur, Medicinam parandam esse in vario instituendi modo, tum severiori, quo curatior Christianismus traditur, inculcaturque, tum amœniori, quo vocum notiones, emphases, constructiones, philologicæ κρίσεις, ac plurimum gratæ antiquitates, jucundæ rerum cœlestium picturæ proponuntur examinantur, ac ad Codicem sacrum illustrandum applicantur, ut qui ab apertis, sanantibus sermonibus (quales carnis acerbi esse solent) aures avertunt, Philologia, crisi & historia sacra incrustati sensim capiantur & Christo lucrifiant. Nec tamen de-

sunt

sunt justæ querelæ: Ἠλήσαμεν, Tibiis cecinimus, & non saltastis. Ἐδρη-  
νήσαμεν, lugubria cecinimus vobis, & non planxistis. Matth. XI. 17.

Horum prudentiam jam ab aliquot lustris imitandam mihi pro-  
posui, contendique, tritibus lætisque carminibus juventutem in  
cognitione veritatis ad pietatem ædificare. Quem in finem vitam  
Christianam non solum generatim, sed & speciatim, imo specialif-  
sime typos officiorum, quæ Pastoribus ac cultoribus Theologiæ in-  
cumbunt, formando & mentibus, quantum pote, imprimendo, tra-  
didi, trititiam secundum Deum producturus. Nec etiam defui  
his tritibus, ut vulgo habentur, dulcia miscere publice & privatim  
sacrum Codicem curatori Philologia, observationibus criticis ex-  
ponendo, vel etiam systema antiquitatum explicando.

Etiamnum talem tibicinem ago, studiosam juventutem hone-  
ste recreaturus. Ante triginta & novem annos, quando *Goodwini*  
*Mosen & Aaronem* notis meis illustratum primum publicaveram, in  
præfatione significavi, multa eaque egregia Antiquitatum sacrarum  
themata, in libro hoc non inutili desiderari, atque quorundam,  
quæ jam tunc affecta possederam, perfectionem & publicationem  
promisi. Quando vero varia fata & graviora negotia me postea  
exercuerant, hæcenus fidem datam nondum liberavi. Nunc ve-  
ro difficulter aliqua ex parte libero hoc, quod vides, Additamento  
de *sacrificiis, fertis, libaminibus*, ac etiam *victimarum integritate*, ca-  
pitibus ut puto, in hoc studiorum genere præstantibus. Cuncti,  
qui à multo tempore *Goodwinum* nostrum in suos usus legerant,  
notabilem hunc defectum ægre tulerant. In quorum itaque gra-  
tiam hoc Supplementum tanto lubentius conscripsi, quo illud fa-  
ciliori opera ex prælectionibus publicis, quas jam ante octo lustra  
Marburgi habueram, colligere potui.

Noto vero hanc temporis circumstantiam, ut æquus Lector  
intelligat, me non hoc demum tempore, quo materia hæc ab uno  
alterove erudite tractata est, de ea cogitasse, sed jam multo ante.

Testes erunt, qui me primis Professionis meæ annis docen-  
tem audiverunt; Testis est prima, quam Goodwino præmisi, Præ-  
fatio. Simul tamen gratus agnosco, me postea recentiores Aucto-  
res consuluisse, atque nonnulla his ordinandis, perficiendisque  
applicasse.

Tribus

Tribus prioribus capitibus eam tenui methodum, quæ domesticas institutiones juvat. Quare à fusiori deductione & testimoniorum allegatione abstinui. Nihilominus unum alterumve monumentum, tum divinum, tum ecclesiasticum, subjunxi, ut lector dictis fidem habere posset; Antiquitates quippe sacræ à solis monumentis dependent. Recensiones & ratiocinia, quæ fundamento carent, ridet historicus. Quartum vero, quod de *victimarum integritate* agit, ac hic *Heidelberga* publice ventilatum est, ideo solum subjeci, ut specimen, quod gustui meo respondet, ritus sacros plenius tractandi sisterem. Evitavi brevitatem; Evitavi quoque nimiam prolixitatem. Quare aliena, trita, grammatica, testimonia, quæ idem semper tradunt, plurimos Auctores, qui sine causa, etiam non inspecti, prælongi sŷrmatis instar apponuntur, & egregie scripta *πλατύνουσι καὶ μεγαλύνουσι πρὸς τὸ θεαθῆναι*, rescidi. Quibus lux & robur deerat, illa ex certis philologiæ principiis, legibus divinis & sapientum, quantum potui, exposui, confirmavique. Et quum Legum carnalium spiritus mysterium sit, solícite studui, illud argumentis apodicticis (habent enim & typi ἀποδείξεις) primo probare, tunc bono ordine, commodis distinctionibus deducere, ac figuras cum figuratis *ἐκ παραλλήλων* collocare. Hac quippe ratione typica confortant, illustant, juvant & exhilarant. Quum ritus absque mysterio umbra nonnisi, & mysterium absque fundamento suave infomnium & luxuriantis phantasiæ inanis foetus sit.

In posterum hujus generis labores non promitto, nisi Deus animum, otium & ansam largiatur, illos, quos olim in Universitate Marburgensi publicaveram, colligendi & curatiori lima poliendi. Mens tamen mea peculiari desiderio sæpius gestiit, telam, quam ibi inceperam, puta *illustrem ritum Diei Expiationis*, perficere. Est enim omnium rituum divinorum citra controversiam Princeps & Rex, ducitque literaliter recte intellectus ad intuendum נפלאות *admirabilem* sapientiam, sanctitatem, justitiam & gratiam Dei in Jesu Christo, ac etiam sanctificationem & spem vivam consequendum. Intensum, quod ante tot lustra conceperam, desiderium facile, si ita Deo videbitur, nunc impleri valet; Quippe sensus literalis hoc de ritu, omni, qua poteram, cura indagatus, ductusque ad finem. Ipsum etiam mysterium jam actu erutum probatum

ac in classes suas est dispositum. Patienter exspecto placidam Numinis providentiam de publicando hoc labore. Benedicat Deus omnibus integro animo attendentibus ad sacras literas, tanquam lucernam lucentem in tenebris mentis nostræ, Ecclesiæ & mundi, & jubeat, exoriri diem, imo ipsum solem justitiæ, qui ἐν δυνάμει φωὸς φέρει, *lucem adfert in cordibus nostris.*

O! quantopere lætabimur in divina luce! Si enim suavis lux Solis corporibus nostris, si suavis lux Scripturæ animabus, quanta suavitas in ipsa luce Dei erit. קומי אורי. *Surge lux mea.*

*Dabam Heidelbergæ die 16. Junij*

*Anno 1749.*



## C A P U T I.

# DE SACRIFICIIS,

Eorum nominibus, origine, materia, speciebus, tum Laicorum tum Sacerdotum circa illa functionibus ac finibus.

Σύνοψις.

- |  |   |
|--|---|
| Sacrificiorum, quæ nobilissimum antiquitatum sacrarum thema constituunt. §. 1. | Adversus objectiones vindictam. §. 12.  |
| A. Nomina §. 2.  | Intentionem Dei circa illa. §. 13 - 15. |
| Hebraica. §. 3.  | Discrimen eorum à Mosaicis. §. 15. 16.  |
| Græca. §. 4.   | Convenientiam eorundem. §. 17.          |
| B. Res; quæ comprehendit.  |   |
| I. In specie Sacrificiorum Patriarchalium                                      | II. In genere.                          |
| Originem divinam. §. 5 - 12.   | * Sacrificiorum materiam, quæ pecc-     |